OFFICIVM
S. PETRI
NOLASCO
CONFESSORIS.


ORDINIS B. MARIÆ DE MISERICORDIA, seù de Mercede Redemptionis Captiuorum Patriarchæ, & Fundatoris.

A Sac. Rituum Congregatione recognitum, & approbatum,

Et ab omnibus vtriusque sexus prædicti Ordinis Professoribus posse recitari concessum die vigesima nona Ianuarij.







ROMÆ, Ex Typographia Reu. Cameræ Apost. 1663.

IN FESTO
S. PETRI NOLASCO

Ordinis B. MARIAE de Misericordia, seù de Mercede Redemptionis captiuorum Patriarchæ, & Fundatoris.

In Hymn. Vesp. & Mat. dicatur: Hac die lætus meruit supremos laudis honores.


Oratio.

DEus, qui ad imitandum tuę charitatis exemplum, in Captiuis Christianis ab Hostium potestate redimendis, S. Petrum Nolasco diuinitus instruxisti, & per eum noua Religionis prole Ecclesiam tuam fœcundasti, tribue quæsumus, vt ipsius intercessione, & ab æterna captiuitate præseruemur, & cum eo in cœlesti Regno perpetua libertate fruamur. Qui viuis, & regnas &c.

Lectiones primi Nocturni. De libro Ecclesiastici. Laudemus viros gloriosos &c. vt in comm. Confes. Pontif.

IN II. NOCTVRNO.

Lectio iv.



PEtrvs Nolasco Carcasonæ nobilibus Parentibus natus, quanta futurus esset charitate conspicuus, mirabiliter demonstratum fuit, cum ad eius dexterā, in cunabulis adhuc vagientis, apum examen conuolans, ibi

fauum mellis extruxerit. Adoleſcens, Parentibus orbatus, Albigenſium hæreſim, quæ tunc in Gallijs vigebat, abhorrens, diuendito Patrimonio, copioſis refertus opibus, Hiſpaniam petijt, & apud Beatiſsimam VIRGINEM Montis Serrati votum, quod nuncupauerat, exoluit. Demum Barchinonam peruenit; vbi ſubſtantias in Chriſti fidelibus, ab hoſtibus dura ſeruitute oppreſſis, redimendis, cum penè cõſumpſiſſet, ſe ipſum pro ijs liberandis venum ire, aut in illorum vincula ſuſſici, cupere dictitabat. ℟ Honeſtum fecit &c.

Lectio v.

HOc tam pij animi deſiderium, adeò Deus gratum habuit, vt ipſi noctu Sanctis meditationibus incumbenti, cum cogitaret, qua ratione Chriſtianorum calamitatibus in captiuitate degentium ſuccurri poſſet, Beatiſſima Virgo apparens ſuggeſſerit acceptiſſimum filio ſuo, ſibique futurum, ſi ad ſui honorem Religioſorum Ordo inſtitueretur, quibus præcipuè eſſet cura captiuos è Turcarum tyrannide liberandi; cuius cœleſti monito vna cum S. Raymundo de Penafort, & Iacobo Primo Aragoniæ Rege (qui eadẽ ipſa à Sanctiſs. Dei Genitrice intellexerãt) illicò obtemperans, Religionem B. Mariæ de Miſericordia Redemptionis Captiuorũ inſtituit, ſuis Sodalibus quarto obſtrictis voto manendi in pignus ſub Paganorum poteſtate pro Chriſtianorũ (ſi opus fuerit) libertate; multis inde, & per ſe, & per ſuos Religioſos è catenis erutis. Egenus hãc ob rem factus, totam ferè Hiſpaniam, non ſemel, pedibus peragrauit, vt collecta

collecta stipe miseros captiuos redimeret:adeo vt adhoc opus,fratrũ necessaria alimenta quandoque distraxerit.

℟. Amauit eũ Dñs &c.

Lectio vj.

Virginitatis voto,ab adolescientia facto, perpetuam seruauit castitatem. Dura cubabat humo: vigilijs, ieiunijs, verberibus ità corpus excruciabat, vt penè stare nequiret. Fidem catholicam propagauit, multis à tenebris Mahometanæ sectæ ad veritatis lucem eductis. Prophetiæ dono fuit illustris; itaut Iacobus Rex,de victoria certior ab eo factus,Valentiam à Mauris iàm obtentam,expugnauerit. Humilitatis amore persæpè à Rege oblatas respuit Dignitates. Angeli Custodis, ac ipsius Deiparæ Virginis frequenti apparitione dignatus. Senio tandem confectus à S. Raymundo Nonnato, cuius sepulchrũ adierat, de propinqua morte commonitus, in morbum incidit, sanctisque refectus Sacramentis, fratres ad charitatem erga captiuos exhortans, Psalmũ, *Confitebor tibi Domine in toto corde meo*, deuotissimè recitans, ad illa verba: *Redemptionem misit Dominus populo suo*, Spiritum Deo reddidit media nocte Vigiliæ Natiuitatis Domini anno M C C L V I. Quem miraculis clarum, inter Sãctos ab Ecclesia veneratum, Vrbanus Octauus noua cultus assertione decorauit.

℟. Iste homo perfecit.

IN III. NOCTVRNO.

Lectio Sancti Euangelij secundum Matthæum.

IN illo tempore dixit Petrus ad IESVM: Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te, quid

quid ergo erit nobis? Et reliqua.

Homilia Ven. Bedæ Presbyteri.

Perfectus ille est &c. vt sunt in festo conuersionis S. Pauli die 25. Ianuarij.

Missa: Iustus, vt palma florebit &c. de communi Confess. non Pontif.

Oratio. Deus, qui &c. vt supra: Euangelium: Ecce nos &c. vt supra.

FRatres Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis Captiuorum Sacror. Rituum Congregationi supplicarunt pro approbatione supradictarum Lectionum cum Oratione propria; Et Sac. eadem Congregatio, referente Eminentissimo Brancaccio, approbauit, ac recitari, & imprimi posse concessit, hac die 25. Septembris 1663.

M. Episc. Sabinensis Card. Ginettus.

Loco ✠ sigilli.

Bernardinus Casalius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.